



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Regia Via Crvcis**

**Haeften, Benedictus van**

**Antverpiæ, 1635**

Cap. VII. Cuiusque viribus Crvcem à Deo contemperari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

## CAPVT VII.

*Cuiusque viribus CRUCEM à Deo  
contemperari.*

Pondus & statera iudicia Domini sunt.  
*Proverb. 16, 11.*

*CRUX sua quemque manet, certo quam ponde-  
re summus  
Arbiter ex magno mittit amore Deus.*



RGVTARI hîc rursus occœpit  
Staurophila, & Cùm dispar, in-  
quiebat, humanarum virium sit  
robûr, vt quod vni leue, aut non  
admodum graue, alteri videat-  
tur longè grauiissimum, scire velim, quem-  
admodum omnes CRUCI baiulandæ apti  
esse queant. Multi enim sunt debiles, infir-  
mi, & sibi ipsis graues: & quî, quæso, teneræ  
virgines, pueri, & puellæ CRUCIS onus ge-  
stabunt? Erras Staurophila, inquiebat Chri-  
stus, & crasse admodum. Si enim credis  
Deum esse sapientissimum, imò ipsam sa-  
pientiam, quomodo CRUCEM imponat,  
quæ ferentis excedat vires? An non legisti: *1. Corinth.*  
*Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari* *10, 13.*  
*suprà quàm potestis. & Si enim homines suis in-* *Ephræm*  
*mentis* *Treat. de*  
*Patent.*

D

mentis



mentis non plus oneris imponant quàm ferre queant, multò minùs plus tentationum aut afflictionum imponet Deus, quàm ferre possint.

Francisc.  
Labat. tit.  
Tribul. 7

Nouit nauclerus certo pondere nauem si burrà onerare, ne æquo leuior, ventorum tempestatibus transuersum eat; & tamen non ita prægrauat, vt demergatur in profundum: non secùs Deus CRVCES & tentationes amicis suis immittit, ne leui flatus abripiantur, sed vt prosperè æternæ gloriæ portum attingant.

Fateor Domine, inquebat Staurophilus errorem meum, & insipienter locuta sum. Sed ne graue, quæso, sit, erudire inscitiam

Ps. 93, 12. meam: *Beatus enim quem tu erudieris Domine*

Sap. 11, 21. *ne. Cui Christus: Deus, qui iuxta sapiens ac iustus, omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit. Nouit ille exactissimè*

Horat. de  
Arte Poët.

quid ferre recusent

*Quid valeant humeri,*

ideoque afflictiones & pœnas æquâ explorat mensurâ; ne CRVX iusto longior aut breuior alicui immittatur. Dinumerat ille quo huic, quot illi, & quâ serie CRVCES assignandæ: appendit prætereà, velut in bilance, ex vnâ parte cuiusque CRVCIS pondus, & patientis vires ex alterâ; atque ita vtraque attemperat, nihil vt ultra vires immittatur. An

Psal. 9, 6. non David ait: *Cibabis nos panem lacrymarum,*



*& potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ?*

\* *Dat in mensurâ, non supra mensuram, ne sine moderatione mensuræ, præ cumulo homines gravarentur, & sustinere non possent.*

\* Ambros.  
in Pl. 118.  
Octon. 20

An non Deus olim decreuit, vt pro mensurâ peccati, sit & plagarum modus? Iam & de numero quàm sollicitus est, cum vetat quadragenarium excedi? Et quid est quod pauidi filij hominum reformidetis? nam & capilli

Deut. 25, 2  
Ibid.

capitis vestri omnes numerati sunt, & ne vnus quidem de capite vestro peribit, nisi ex præscripto Dei. In pondere quoque, spirituum ponderator, CRUCES disponit, vt iusti ponderis rependat in cælo coronas. Id enim

Luc. 12, 7.

quod in presenti est momentaneum, & leue tribulationis vestræ, supra modum in sublimitate æternum gloria pondus operatur in vobis.

Luc. 21, 18.  
Prou. 16, 2.

Et erit aliquis, qui queri possit, grauius sibi onus imponi, quàm sustinere valeat? Homo id faciat, cui robur ferentis ignotum; aut si notum, crudelis erit, si fecerit. Non cadit hoc in Deum optimum & sapientissimum.

2. Corinth. 4, 17.

Equidem id credo, Domine, aiebat Staurophila; sed nescio quomodo semper querula caro submurmuret, & grauiora se, quàm reuerà possit, ferre existimet. Sapientia carnis, respondebat Christus, mors est, nec bene de bonitate Dei iudicat. Disce vel ab Agonothetis quid de Deo sentire debeas:

D 2

nam



Origen.  
de Princip.  
lib. 3. c. 2.

nam sicut hi qui agonibus præsumunt, eos qui ad certamen veniunt, non æcumque, neque fortuito inter se signunt inire certamina, sed diligenti examinatione, prout viderint corpora vel aetates, æquissimâ comparatione iungent illum cum illo, ut pueros cum pueris, viros cum viris. Ita intelligendum est de Deo, qui homines, qui in hos humana vitæ descendunt agones, iustissimâ ratione dispenset, secundum rationem vniuscuiusque virtutis, quam ipse solus agnoscit; ut alius quidem pugnet aduersus carnem, tali & tanto tempore, alius verò non tanto: tum ut alius resistat aduersus inimicam potestatem hanc vel illam, alius aduersus duas vel tres simul. Non vno modo vasorum exploratur integritas: solidiora grauiori ictu, fragilia leuiore tanguntur. Artifex vitrum extremo vix digito tangit, argenteum scyphum malleo percutit, campanam verum prægrandi plectro, & quæ libras aliquot appendat, fortissimè pulsatur, securus periculi propter metalli soliditatem. Non secus Patet cælestis pro virium mensurâ CRVCES & tribulationes immittit. Vitreos & fragiles homunciones benigniùs habet, fortes verò & probatæ virtutis duriùs tractat. Nihil igitur metuendum, ne grauior alicui imponatur CRVX, cum à paternâ Dei manu omnes æquè descendant.



Domine, inquiebat Stauropraxila, quotiescumque vel ægrotis viso, vel cum afflictis loquor, antiqua hæc eorum & quotidiana est querela, manum Dei grauem esse super eos, seque sustinere non posse. Homines, respondebat Christus, loquuntur vt homines; sensuum iudicium sequuntur; ad Deum, sine quo permittente aut immittente nulla venit afflictio, oculos non attollunt. Nec cogitant à Patre eam venire, & sapientissimo, & benignissimo, & moderatissimo. An tu existimas hunc Patrem subito furore aut iracundiâ concitum neque videre, neque intelligere, neque attendere quem percutiat? quot, quamque graues, aut diuturnas CRUCES immittat? Non ita agit, in neminem furit, neminem suorum despicit; sed vniuscuiusque virtutem dispicit, cuiusque robur velut ad trutinam examinat & explorat. Vidit ille ab omni æternitate, has illasve corporis ærumnas, afflictiones, dolores, huic & illi profuturas, ideoque prudenter admodum decreuit, vt hoc aut illo anno, mense, die, aduersitas quædam contingeret, quæ animæ salutem promoueret. Noli igitur, filia mea, expauescere, noli durum vocare Patrem, qui per Prophetam suauissimè ita te consolatur: *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo; meus es tu. Cùm transieris per aquas,*

Isai. 43. 1.



tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non comburèris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël.

## CAPVT VIII.

Voluntatem omnino firmam ad CRVCIS  
baiulationem adferendam: significasse  
Christum, cum dixit:

Si quis vult venire post me.

Matth. 16, 24.



Luc. 9, 23.

CRVCEM ferendam omnibus proponens, dixisti: *Si quis vult post me venire, abneget se metipsum, & tollat CRVCEM suam.* Cum CRVCX adeò necessaria sit, nullâ vt arte, nullâ vt industriâ eam effugere liceat? velint igitur nolint homines, CRVCX omnibus perferenda videtur.

Chrysof.  
de Adorat.  
Cruc. &  
Hom. 6.  
in Matth.

Ita quidem, respondebat Christus, sed nolui ego vllam necessitatem verbis meis adiungere, nec dicere, *Velitis nolitis, hoc vobis per-*